

Petrus de Vinea

*Ep. III 11 (Deo propitio, per
quem uiuimus et regnamus...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. III 11 (Deo propitio, per
quem uiuimus et regnamus...)*

5 giugno 1224

Inuitat scolares ad Studium Neapolitanum.

1. Deo propitio, per quem uiuimus et regnamus, cui omnes actus nostros offerimus, cui omne quod agimus imputamus, in Regnum nostrum desideramus multos prudentes et prouidos fieri per scientiarum haustum et seminarium doctrinarum; qui, facti discreti per studium, per obseruationem iuris iusti, Deo seruiant, cui seruiunt omnia, et nobis placeant per cultum iustitiae, cuius preceptis omnes precipimus obedire. 2. Disponimus autem apud Neapolim, amenissimam ciuitatem, doceri artes et cuiuscumque professionis uigere studia, ut ieiuni et famelici doctrinarum in ipso Regno inueniant unde ipsorum auuditatibus satisfiat neque compellantur ad inuestigandas scientias peregrinas nationes expetere nec in alienis regionibus mendicare. 3. Bonum autem hoc rei nostrae publicae profuturum intendimus, cum subiectorum commoda speciali quadam affectionis gratia prouidemus, quos, sicut conuenit eruditos, pulcherrima poterit spes fouere et bona plurima promptis animis expectare, cum sterilis esse non possit accessio, quam nobilitas sequitur, cui tribunalia preparantur, sequuntur lucra diuitiarum, fauor et gratia comparantur. 4. Insuper studiosos uiros ad seruitia nostra non sine magnis meritis et laudibus conuocamus, secure illis, qui discreti fuerunt, per instantiam studii iuris et iustitiae regimina committentes. 5. Hylares igitur et prompti satis ad professiones, quas scolares desiderant, animentur, quibus ad inhabitandum eundem locum concedimus, ubi rerum copia, ubi amplae domus et spatiosae satis et ubi mores ciuium sunt benigni, ubi etiam necessaria uitae hominum per terras et maritimas facile transuehantur, quibus per nos ipsos utilitates querimus, condiciones

disponimus, magistros inuestigamus, bona promittimus et eis, quos dignos uiderimus, donaria conferemus. 6. Illos siquidem in conspectu suorum parentum ponimus, a multis laboribus liberamus, a longis itineribus et quasi peregrinis absoluimus, illos tutos facimus ab insidiis predatorum. 7. Et qui spoliabantur fortunis suis et rebus, longa terrarum spatia peragantes, scholas suas leuioribus sumptibus et breuioribus cursibus a liberalitate nostra se gaudeant assecutos! 8. De numero autem doctorum, quos ibi duximus destinandos, mittimus magistrum R. de..., et... de..., iudices, fideles nostros, ciuilis scientiae professores, uiros magnae scientiae, notae uirtutis et fidelis experientiae, quam nostrae semper exhibuerunt et exhibent maiestati, de quibus, sicut de aliquibus Regni nostri fidelibus, fiduciam gerimus pleniorum. 9. Mittimus quoque... et..., et cetera. 10. Volumus igitur et mandamus uobis omnibus, qui prouincias regitis quique administrationibus aliquibus presidetis, ut haec omnia passim et publice proponatis et iniungatis sub pena personarum et rerum, ut nullus scholaris legendi causa exire audeat extra Regnum nec infra Regnum aliquis audeat addiscere alibi uel docere, et qui de Regno sunt extra Regnum in scholis sub pena predicta eorum parentibus iniungatis, ut usque ad festum sancti Michaelis nunc proximo reuertantur. 11. Condiciones autem, quas scholaribus concedimus, erunt istae: in primis, quod in ciuitate predicta erunt doctores et magistri in qualibet facultate. 12. Scholares autem, undecumque uenerint, secure ueniant morando, stando et redeundo, tam in personis quam in rebus nullam sentientes in aliquo lesionem. 13. Hospitium, quod melius in ciuitate fuerit, scholaribus locabitur pro duarum unciarum auri annua pensione, nec ultra extimatio eius

ascendet. 14. Infra predictam summam et usque ad illam, omnia hospitia sub extimatione duorum ciuium et duorum sclarium locabuntur. 15. Mutuum fiet sclaribus ab illis, qui ad haec fuerint ordinati, secundum quod eis necesse fuerit, datis libris in pignore et precario restitutis, receptis a sclaribus fideiussoribus pro eisdem. 16. Sclaris uero, qui mutuum recipiet, iurabit, quod de terra aliquatenus non recedet, donec precaria restituet, uel ab eo mutuum fuerit exolutum, uel alias satisfactum fuerit creditori. 17. Predicta autem precaria a creditoribus non reuocabuntur, quamdiu scolares uoluerint in Studio permanere. 18. Item omnes scolares in ciuilibus sub eisdem doctoribus et magistris debeant conueniri. 19. Omnes igitur, qui amodo studere uoluerint in aliqua facultate, uadant Neapolim ad studendum, et nullus sit ausus pro scolis extra Regnum exire uel infra Regnum in aliis locis addiscere uel docere; et qui sunt de Regno extra Regnum in scolis, usque ad festum sancti Michaelis proximum futurum, sine morae dispendio reuertantur. 20. De frumento autem, uino, carnibus, piscibus et aliis, quae ad uictum pertinent, modum nullum statuimus, cum in hiis omnibus habundet prouincia, quae uenduntur sclaribus, secundum quod uenduntur ciuibus et etiam per contratam.